


Alexander Benedictinus Congreg. S. Mauri Fluxum & Reflexum Maris explicare voluit, eum scilicet à motu Terræ circa Lunam derivando; statim quidem hanc opinionem pro absurda, & minus vero simili habui; sed re melius considerata, non inutile censui, si ejus opinio per Observationes Astronomicas (\*), quæ solæ hanc litem dirimere possunt, examinaretur: Nulla enim Hypothesis, quamvis paradoxa, statim sine examine rejici debet.

Multa quidem Monacho contra suam Hypothesin objici possunt, ex.gr. vero simile non esse, corpus majus, scilicet terram, circa minus, seu Lunam, circumgyrari, & alia; ego vero omnia argumenta, quæ probabilitatem tantum pro fundamento habent, deferenda judicavi: & cum Autor Hypotheseos quasdam probabilitates pro ea protulisse sibi videatur, probabilitates vero aliæ contra eum pugnent, demonstrationibus opus est, quibus Hypothesis illa vel firmetur vel collabefactetur.

Observationes Martis, si scilicet ejus longitudo observetur diversis diebus, præsertim quando Mars est prope terram, necessariò testari debent, utrum Terra circa Lunam moveatur, nec ne. Namin Schemate apposito, sit A Terra in Systemate Copernicano, vel Luna ex Hypothesi Monachi, B sit Mars; & planeta secundarius, qui nobis est Luna, illi Terra, Circulum C D E F absolvat. Ex hoc apparet, planetam secundarium, quando est in D & F, Martem in eadem longitudine observare ac primum.



(\*) Quæ enim de natura Vorticum utrinque disputata sunt, nihil huc faciunt, si nulli dantur vortices cœlestes in rerum natura; qui fortasse non solidiori nituntur fundamento, quam antiquorum orbis cœlestes crystallini.